

habet maritus jus ea administrandi, revocabile ad libitum ab uxore; si tradat, ut fiant ipsius civiliter, sequuntur naturam dotis, hoc excepto, quod fructus illorum non æque lucretur maritus, licet possit eos in suam et uxoris utilitatem impendere, vel ad causas juxta arbitrium uxoris, non vero in suam tantum. *L. fin. C. de pact. convent.*

292. VI. *Donum matutinale*, vulgo *morgeba*, illud dicitur, quod altero nuptiarum die maritus novæ nuptæ dat. Per se loquendo continuo cedit in plenum uxoris dominium; quia est remuneratoria donatio; hujusmodi vero donationes, facta traditione, in donatarii dominium plenum abeunt. Nec obstat, quod donationes sint inter conjuges jure communi prohibitæ; nam hoc solum de donationibus gratuitis procedit; at donum matutinale non est omnino gratuita donatio, sed compensatoria ob creditam pudicitiam.

293. VII. *Acquæstus* est lucrum, vel honorum augmentum, quod stante matrimonio acquiritur, velut negotiatione, quam si communem exercent conjuges, dicitur *acquæstus communis*; ad quem tamen per se non pertinet legatum, hæreditas, donatio ab una solum parte acquisita; nec salarium viri ex officio; quia inter conjuges etsi societas vitæ et cohabitationis sit, non tamen per se omnium bonorum. Dominium bonorum communium est penes utrumque conjugem, licet administratio debeatur marito. Idem est de communibus acquæstibus. De jure tamen provinciali non eodem modo solent acquæstus dividi; nam alibi pars respondet parti; alibi mulieri solum tertia, viro duplex determinata est; quod notandum est in ordine ad debitam; nam ad hæc expungenda quilibet conjugum debet pro sua rata concurrere. Ubi vero jus particulare nihil determinavit, standum est jure communi, quo præsumptio acquæstus stat pro marito. *L. 51. ff. de donat. int. vir. et uxor.*

294. *Dices 1º.* Si maritus sit dominus dotis, ergo eam alienare poterit, item dare in hypothecam; est enim domini effectus, posse de re sua disponere, adeoque et alienare.

*R. D. Seq.* Dotem venditionis causa sibi æstimato traditam *C.* hujus enim dominium omnimodo nanciscitur maritus. Dotem non venditionis causa traditam per se loquendo *N.* Hujus solum dominus civilis est, et *Inst. quib. alien. licet, vel non*, aperte dicitur dominus dotis, licet fundum dotalem alienare non possit. Per *legem Juliam de adulter.* non licebat marito alienare fundum dotalem, *invita uxore*, nec eundem, *consentiente* licet uxore, obligare, ideo, quod in obligationem facilius consensura timeretur uxor, utpote in qua obligatione non ita apprehenderetur periculum perdendæ dotis. At *JUSTINIANUS*, ne consentiente quidem uxore sive alienationem, sive oppignorationem fundi cujuscumque permisit. *L. 5. §. 15. C. de rei uxor. act. pr. Inst. h. t. cit.*

Excipe tamen 1º. nisi alienatio vel sit necessaria, *L. 1. ff. de fund. dot. L. ult. C. eod.* vel uxori utilis, ut si surrogetur fundus fructuosior, *L. 26. L. ult. ff. de J. D.* 2º. Nisi accedat de alienando juramentum uxoris, non metu aut vi extortum, *c. cum contingat de Jurejur. c. licet. eod. in 6.* 3º. Nisi dos consistat in rebus mobilibus; nam nulla lex prohibens alienationem de mobilibus loquitur; sic *lex Julia* nominatim fundum dotalem exprimit; et

dum hanc extendit *JUSTINIANUS* ad casum consentientis uxoris, censendus est tantum extendisse ad fundum dotalem; ergo cum ea prohibitio sit a jure antiquo communi exorbitans, stricte debet intelligi. Adde *L. 1. C. de serv. pig. dat. man.*

295. *Dices 2º.* Si dominium naturale dotis traditæ non ad venditionem remaneat penes mulierem; ergo pro dote hac posset fidejussorem exigere; atqui id prohibet *L. 1. et 2. C. ne fidejussores dotium dentur*; ergo.

*R. D. Seq.* Posset fidejussorem exigere per se loquendo *N.* Aliquando et per accidens *C.* Sic *D. min.* Nequit uxor per se loquendo stante matrimonio, vel ante illud exigere fidejussores pro dote, *L. 1. et 2. C. ne fidejuss. dot. dent.* idque in favorem matrimonii, cui se credit uxor, ne, secus, impediatur maritalis affectus. Potest tamen per accidens, ut, si ob prodigalitem mariti, periculum dotis accederet.

*Si dicas:* Potest uxor admittere pignus pro dote, *L. 7. §. 6. ff. de donat. inter vir. et uxor.*; ergo et fidejussorem.

*R. N. Cons.* Ratio differentiæ est tum diversa legis constitutio, tum ratio; quia fidejussoris constitutio non caret contumelia, *L. 17. §. ult. ff. de Testam. Tut.* dum uxor majorem fidem habet fidejussori extraneo, quam marito, cui tamen animus, corpus, et omnem vitam tradit, *L. 8. C. de pact. convent.* Unde per facile simultates oriri possunt inter conjuges; secus se habet in constitutione pignoris; pignus enim pro re datur, fidejussor pro persona. Non solum autem exigi non potest fidejussor pro dote; sed nec valet, si proprio motu a marito oblatum; quod generaliter sit prohibitum, ne fidejussores dantur. Procedunt tamen dicta, si 1º. agatur de dote conservanda, aut marito restituenda; secus si de dote a socero aut alio solvenda; sic maritum posse fidejussores exigere dotis dandæ, et hos posse uxorem, aut patrem offerre, certum constat, *L. 55. ff. de J. D.* quia hic cessat prohibendi ratio. 2º. Si agatur de dote ipsi uxori, aut hujus patri restituenda; non si extraneo; quia et sic cessat superior ratio. *MOLINA Tr. de Commerc. Q. 33.*

Demum dicta hactenus de alienatione dotis, et ne fidejussores petantur a marito de jure communi procedunt. Moribus variarum provinciarum Germaniæ valere alienationem rerum dotalium inquit *SCHULT. ad ff. Ex. 36. Th. 95. CARPZOV. P. 2. C. 15. Def. 20. 21.* si solus accesserit uxoris consensus. Pariter fidejussionem a marito sponte oblatam valere, præjudicio comprobatur *CARPZOV. P. 2. Cap. 42. Def. 17.*

## ARTICULUS II.

AN ET QUALIS HYPOTHECA COMPETAT UXORI RATIONE DOTIS ILLATE IN BONIS MARITI?

296. *Præmitto.* Hypotheca (dum res aliqua obligatur alteri in securitatem debiti, ut fundus) alia est expressa, alia tacita. *Expressa*, quæ vel conventionione partium, vel auctoritate judicis, vel jussu testatoris, dum bona sua obligat pro legatis a se relictis, constituitur. *Tacita*, quæ sine tali expressa conventionione, vel ordinatione inducitur. Utraque vel est *specialis*, quæ res

determinatæ; vel *generalis*, qua bona omnia obligantur tam præsentia, quam adhuc acquirenda, exceptis iis, quæ jure excipiuntur, ut 1<sup>o</sup>. quæ debitor, si expressa mentio fuisset facta, verosimiliter obligaturus non fuisset ob eorum vel necessitatem, vel singularem erga illa affectionem, *L. 6. seq. ff. h. t.* 2<sup>o</sup>. Quæ alienari principaliter ob favorem alicujus prohibentur; 3<sup>o</sup>. Quæ debitoris defuncti hæres acquiret, *L. 29. pr. ff. h. t.* 4<sup>o</sup>. Merces in taberna venales, ne turbetur commercium; potest tamen petere debitor, ut Magistratus claudat tabernam, quando periculum est, ne debitor sit solvendo. Præterea hypotheca *conventionalis* erit, si solo consensu partium constituitur sive expresso, sive tacito; talis constituitur domino in rebus in prædium urbanum elocatum a colono illatis tum in securitatem pensionis solvendæ, tum rei elocate, *L. 3. ff. in quib. pign. vel. hyp. tac.* E contra *legalis* est, quam leges citra conventionem hominum in favorem quorundam creditorum rebus imponunt. Talem habet pupillus in tutoris, minor in curatoris, Ecclesia in sui administratoris rebus.

Certum est et juris clari 1<sup>o</sup>. etiam mulierem habere hypothecam tacitam, generalem, ac legalem ratione dotis illatæ, §. 29. *Inst. de AA.* ubi: *sed et tacitam ei dedimus hypothecam.* Adde *L. 30. C. de J. D.* 2<sup>o</sup>. Hoc jus hypothecæ mulieris esse cum prælatione, ut vi hujus uxor præfertur creditoribus anterioribus mariti, de cujus bonis inter creditores per subhastationem distrahendis agitur, *L. 12. C. qui pot. in pign.* quod tamen jus prælationis est solum personale uxori competens soli et liberis eo ex marito susceptis, *L. 12. cit.* etsi jus hypothecæ simpliciter tale sit reale, ad quemlibet uxoris hæredem transiens. Sed et, tametsi uxor ob paraphernalia, si ea administrationi mariti credidit, habeat hypothecam in bonis mariti, *L. 11. C. de pact. convent.* non tamen propterea jure simul prælationis gaudet. 3<sup>o</sup>. Hoc privilegium juris concessum uxori non procedere de dote *cauta*, sed solum de dote *numerata*. *Tit. C. de dote caut. non num.*

Hinc duo solum remanere controversa videntur, primum: an mulier ratione dotis præferenda sit creditoribus non solum tempore et hypotheca tacita anterioribus; sed etiam, etsi hypothecam anteriorem *expressam* haberent? Alterum: an, si mulier sibi constituisset hypothecam specialem in bonis mariti, idcirco legali generali renunciasset censenda sit? Quæstionis hujus scopus ex subjecto casu elucet. Uxor pro dote a se allata sibi hypothecam in certa quadam mariti domo constituit. At maritus lapsus est facultatibus, dumque de ejus bonis inter creditores per subhastationem distrahendis agitur, quaeritur, utrum uxor renunciasset censeatur hypothecæ sibi per legem in omnibus mariti bonis constitutæ; ut tantum ex dicta sibi obligata domo satisfieri debeat; et si ea forte incendio interiisset, nullo amplius gaudeat pignore?

297. *Dico I.* Uxor ratione dotis illatæ præfertur creditoribus omnibus, etiam anteriorem hypothecam expressam habentibus.

*Prob. I.* Ex *Nov. 97. c. 3.* ubi dicitur, mulieres ratione dotis præferri creditoribus, *quorum pecunia res emptæ, vel reparatæ sunt*; ergo cum hi præferantur creditoribus anterioribus hypothecam expressam habentibus, multo magis his uxor præfertur, juxta illud: *vinco vincentem te, ergo vinco te.*

*Prob. II. L. 12. §. 1. C. qui pot. in pign. Sancimus*, ait Imperator, *ex stipulatu actionem, quam mulieribus pro dote restituenda dedimus, potiora jura habere contra omnes mariti creditores, licet anterioris sint temporis privilegio valati*; ubi Imperator inter hypothecas tacitas et expressas non distinguit. Quin hypothecas æque expressas, quam tacitas hac lege comprehendere voluisse Imperatorem inde evincitur, quod, ut indicat §. 1. *cit. L.*, voluerit mulieribus plene succurrere; id vero non præstitisset, si eam tacitis solum præferri hypothecis voluisset. Nec apparet cur, si tacitæ hypothecæ anteriores dicantur mulieri cedere, ea expressis postponenda sit; cum in hac materia eadem sit vis taciti, quæ expressi.

298. *Obj. I.* Qui prior, est potior jure, ut habet regula sumpta ex *L. 2. et 12. ff. qui pot. in pign.*; item *L. 2. 4. 8. C. eod.*; ergo habens expressam hypothecam anteriorem, posteriori indistincte præfertur.

R. 1<sup>o</sup>. Probatum nimium, scilicet præferendos etiam esse, qui hypothecam solum tacitam anteriorem habent.

R. 2<sup>o</sup>. *D. Ant.* Prior tempore est potior jure, si concurrens creditor non sit speciali munitus privilegio, ut pupillus, uxor ratione dotis numeratæ *C. secus N. Ant. et Cons.*

299. *Inst. 1.* Provisio hominis tollit provisionem legis, hujusque dispositio silet et cessat, quando adest dispositio hominis, *arg. L. 13. ff. precar. L. ult. C. de pact. convent.* atqui providerunt sibi creditores per hypothecam expressam; ergo.

R. *D. M.* Provisio hominis tollit provisionem legis etc. si provisio legis sit inventa tantum in supplementum provisionis hominis *C.* sic cessat tutela legitima, dum habetur testamentaria, nec nisi in hujus defectu priori locus est. Si provisio legis sit absoluta, independens a provisione hominis *N.* Talis est provisio *L. 12. cit.*, qua Imperator voluit plene, absolute consulere mulieribus.

300. *Inst. 2.* In *L. 12.* datur privilegium mulieribus: sed omnia privilegia sic interpretari oportet, ne vergant in dispendium tertii, *L. 40. ff. de admin. et peric. tutor.*; ergo et hoc, ne vergat in dispendium creditorum hypothecam expressam habentium.

R. Hæc regula procedit solum in dubio, quando de ipsa voluntate Principis contraria non constat: sed voluntas Principis mulierem etiam hypothecam expressam habentibus *L. 12.* præferentis esse dubia non potest, legem attente consideranti.

301. *Inst. 3.* In materia juris correctoria stricta est adhibenda interpretatio, *L. 14. et 23. ff. de LL.*, ac privilegia sic oportet accipi, ut, si effectum habere alias possint, juri communi non derogent: sed *L. 12.* est correctoria, habetque adhuc effectum, etsi mulier non præferretur creditoribus anteriorem hypothecam expressam habentibus; nam ante constitutionem JUSTINIANI non competebat mulieri ratione dotis hypotheca tacita et legalis, sed solum erat prælata creditoribus chirographariis; ergo si ita inter-

pretemur constitutionem JUSTINIANI, ut mulier præferatur hypothecis solum tacitis et legalibus, ea lex, et hoc privilegium adhuc habebit effectum.

R. D. M. Stricta est adhibenda interpretatio, si hæc non est contraria menti Principis C. secus N. At mens JUSTINIANI fuit, mulieribus perfecte consulere, quod non fecisset, si solum tacitis, non etiam expressis hypothecis præferretur.

302. *Inst. 4. In cit. L. 12.* dicitur, quod mulier præferatur creditoribus, qui anterioris temporis privilegio sunt muniti: sed hoc de hypothecis expressis non dicit, cum creditores his muniti expresso conventionis beneficio gaudeant.

R. N. min. Nam æque in hypothecam expressam habentibus valet regula: qui prior tempore, potior jure, quam in aliis, qui legalem et tacitam habent; si ergo in citatis verbis Imperatoris his præfertur mulier; etiam prioribus præferretur.

*Inst. 5. In L. 12. cit.* ait Imperator quod ad personalem actionem dotis nomine mulieribus competentem respexerit, in qua veteres mulierem omnibus chirographariis potiorum esse voluerunt: atqui personalis actio anteriori jure munitis non prævaluit; ergo.

R. Hæc de actione personali tantum adduci narrative; nec erant causa impulsiva constitutionis novæ; sed commiseratio, qua ferebatur in mulieres Imperator; unde ait: *quis enim earum non miseretur, etc.* Unde et plene iis volebat consultum; ac sicut ante in actione personali omnibus creditoribus chirographariis præferrebatur mulier, ita hic constituit, ut per hypothecariam præferretur creditoribus quibuscumque habentibus hypothecam anteriorem sive tacitam, sive expressam.

303. *Obj. II.* Non plus privilegii competit mulieri quam fisco, *L. 2. C. de privil. Fisci*: sed fiscus non præfertur creditoribus anterioribus hypothecam expressam habentibus, *L. 8. ff. qui pot. in pign.*; ergo.

R. Allatam *L. 2.* correctam esse per *Nov. 97. cit. in Concl. ac per L. 12. cit.*, adeoque juxta hanc neminem ex hypothecariis præferri mulieri, nisi solum eum juxta *Nov. cit.* qui in militiam emendam credidit, et de hypotheca expressa sibi providit. Eadem est responsio ad *L. 3. C. de primip., L. 4. C. in quib. caus. pign. tac.* quæ pariter correctæ sunt.

304. *Obj. III. L. 29. C. de J. D.* mulier tantum prælata est hypothecariis posterioribus et aliis potiora jura non habentibus; ergo a contrario non est prælata anterioribus.

R. Tempore hujus legis necdum competiisse mulieri hypothecam tacitam et legalem sed mulierem solum chirographariis fuisse potiorum; nam jus tacitæ et legalis hypothecæ primum per JUSTINIANUM fuit constitutum in *L. unic. §. 1. et 13. C. de Rei uxor. act.* quæ fuit priori *L. 29.* biennio posterior; jura scilicet in materia dotium paulatim invaluerunt, quæ postea Imperator in *L. 12. C. qui pot. in pign.* simul complexus est. Supponi igitur debet, mulierem in allatâ lege sibi per hypothecam expressam prospexisse, quæ cum privilegiata nondum esset, ei solum quoad creditores posteriores profuit.

305. *Dico II.* Mulier constituens sibi hypothecam specialem in securitatem dotis, non ideo legali generali renunciasset censenda est.

*Prob. I.* Per *L. 14. 15. 16. 17. ff. de pact. dotal.*, mulier non potest per pacta jus suæ dotis reddere deterius; nisi post solutum matrimonium, *L. 18. ff. eod.* Sed si censeretur renunciasset hypothecæ legali generali, jus suæ dotis non parum reddidisset deterius; plus enim hypotheca legalis, quam specialis continet, cum prior annexum habeat jus prælationis juxta *Concl. præc.*; ergo huic renunciasset censi nequit, cum, etsi aperte renunciasset, per *LL. cit.* nequidem valeret renunciatio.

*Prob. II.* Quia constituens sibi hypothecam specialem non ideo vult aliquid de suo jure imminuere, sed quilibet illud potius augere et firmare intendit; ergo talis cautela non debet operari contrarium, diminutionem juris. *Ant.* inde patet, quod constitutio hypothecæ specialis plerumque fiat ex abundantanti cautela; quæ nemini nocet, *L. 17. c. de Testam.* Unde sicut per *L. 4. §. 4. ff. de re judic.*, si quis id, quod vi judicati debetur a reo, insuper stipulatur, non ideo ordini executionis a lege generaliter inducto renunciasset præsumitur, nisi forte id *animo novandi* faceret; sic neque præsumi potest mulier per constitutionem hypothecæ specialis, renunciasset hypothecæ sibi per legem constitutæ.

Dixi: in securitatem dotis; nam si mulier sibi providit de hypotheca speciali ob bona paraphernalia; non remanet ei amplius hypotheca legalis concessa mulieri juxta *L. ult. C. de pact. convent.* Unde hypotheca concessa mulieri ob bona paraphernalia, est tantum *in subsidium*, sive adhuc *nascitura*, casu, quo mulier sibi ipsi de hypotheca ob ea bona non prospexisset; ubi proinde tenet vulgaris regula: *provisio hominis tollit provisionem legis.* At hypotheca data mulieri a lege ratione dotis est absoluta, jam nata, non in subsidium, ut communiter Jurisconsulti arguunt, ex *Inst. quib. alienare licet vel non*: ubi *Reip. interest, mulieres dotes salvas habere.* Item, dotes salvæ jubentur esse iisdem, ut incommoda viduitatis sustinere non cogantur, *L. 2. ff. de J. D. et L. 1. ff. solut. matrim.*; ut proinde, etsi vellet, non posset per *LL. supra cit.* jus suæ dotis reddere deterius.

306. *Dices 1<sup>o</sup>.* Juxta axioma juris: *generi derogatur per speciem*; ergo et per hypothecam specialem legali generali. Sicut proinde si testator ab initio legaverit genus, postea vero expresserit quasdam species sub genere contentas, hæc solæ tunc debentur per *L. 20. ff. de instrum. vel instrum, L. 9. ff. de Suppellect. leg.*, ita in præsentî casu tantum hypotheca specialis debetur.

R. D. *Ant.* Generi derogatur per speciem, si species contradicat generi, et sit diversa ratio in specie C. si hoc non, sed ambo tendant ad finem eundem N. *Ant. et Cons.* Hypotheca generalis legalis, tum specialis simul tendunt in securitatem dotis; ac specialis solum abundantioris cautelæ gratia, vel commoditatis constituta fuit. Quoad alterum *disparitas est*; cum testator legato in genere addiderit quasdam species, quas aliunde noverat sub genere contineri, voluntatem suam explicare voluisse censetur, ad quas res præstandas hæredem obligare voluerit. Præterea cum hic agatur de hærede gravando, non oportet ultra defuncti voluntatem ei onus imponere. At in præsentî casu non plus in effectu præstare tenetur debitor

ex eo, quod plures ejus res sint obligatæ; sed eadem specie sors in debito est. Deinde non de explicanda alicujus voluntate hic agitur, cum hypothea generalis anterior sit per legem constituta mulieri, hæcque forsitan ex affectione speciali, commoditate majore in distrahenda certa re, etc. sibi prospexerit de speciali.

307. *Dices 2º. L. penult. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* per fidejussorem conductoris derogatur pignori, vel hypothea legali generali, quam habet locator in rebus in prædium urbanum illatis; ergo similiter hic.

R. C. Ant. N. Cons. Ratio differentiae est, quod in priori casu illata in prædium obligata fuerint ex conventionione, donec locatori pensionis solvenda nomine satisfaceret; ergo cum postea satisfactionis nomine fidejussorem locator acceperit, ei ex sua voluntate jam fuit satisfactum, ut proin merito censi debet renunciassse hypothea legali juxta L. 9. §. 3. ff. de pignor. Act. L. 5. 6. ff. quib. mod. pign. vel hyp. solv. At aliter se res habet in casu nostro; ubi mulier sibi de hypothea speciali majoris commoditatis gratia, etc. providit.

308. *Dices 3º. Per L. 15. §. 3. ff. de precar.,* si quis de re sibi restituenda cautum habet, puta, stipulatione, non competit ei interdictum de precario, non obstante, quod per Prætoris interdictum ei provisum fuerit; ergo idem etiam hic dicendum est.

R. C. Ant. N. Cons. *Disparitas est:* Prætoris interdictum inductum est non nisi in subsidium, ut constat ex L. 14. ff. cod. ubi dicitur, interdictum de precario esse merito inductum, quod nulla eo nomine jure civili actio esset; magis enim ad donationis et beneficii causam, quam negotii contracti spectat precarii conditio; unde et hic rursum valet illud: *provisio hominis tollit provisionem legis:* item: *ibi lex silet, ubi homo loquitur.* Eodem modo responde ad similia alia, ad §. 9. Inst. de AA.

*Dices 4º. L. 11. C. ad senatusconsultum Velleianum* permittitur mulieri remittere marito vel hypotheam constante etiam matrimonio; ergo non tenet ratio conclusionis.

R. Lex ea, ut concordet aliis supra allatis, intelligi debet de pignore, vel hypothea non necessaria, sed voluntaria, ex alia causa, præterquam dotis contracta.

### ARTICULUS III.

#### AN ET QUORUM BONORUM DOMINIO GAUDEANT FILII FAMILIAS?

309. *Præmitto.* Filiusfamilias (quo nomine hic simul filiafamilias comprehenditur) ad eam hominum classem, vel statum pertinet, qui Inst. h. t. alieni juris dicuntur; filiusfamilias enim dicitur, qui etiamnum sub patria potestate est.

Patria potestas vero, spectato jure civili communi, est jus, quo filii et filia, cæterique descendentes subjiciuntur supremo in linea masculina ascendentium superstiti in ordine ad certos effectus jure civili inductos. §. *Jus autem Inst. de pat. pot.* ubi: *qui igitur ex te et uxore tua nascitur, in*

*tua potestate est, item qui ex filio tuo et uxore ejus nascitur, id est, nepos tuus et neptis aequè in tua sunt potestate, et pronepos et proneptis, et deinceps cæteri. Qui autem ex filia tua nascuntur, in potestate tua non sunt, sed in patris eorum.* Igitur potestas patria residet tantum in supremo ascendentium masculo, ac proinde 1º. vivente avo pater filium suum in potestate non habet, cum ipse in potestate avi sit, qui vero ipse in potestate est, alium in potestate ejusdem generis habere nequit, L. 21. ff. de adulter. 2º. Matres ac universim feminae liberos in potestate non habent, §. 10. Inst. de Adopt. nec iisdem competit domesticum in liberos imperium, sed sunt ipsæ quoad familia regimen maritis subjectæ.

Dictum autem 1º. spectato jure civili; non enim hic patria potestas sumitur, quatenus ex jure naturali descendit; sic enim in illa etiam sunt liberi procreati extra nuptias justas, qui non minus debent suis genitoribus reverentiam, quam legitimi; sed quatenus certos effectus a jure civili annexos habet; sic vero illi solum liberi, qui procreati ex justis nuptiis, in patria potestate sunt, pr. Inst. h. t. et quia in jure pater non intelligitur, nisi quem justæ nuptiæ demonstrant, L. 5. ff. de in jus voc. sicut nec filius intelligitur, nisi qui ex viro et uxore ejus natus est, L. 6. ff. de his, qui sui, vel alieni jur. Ut vero quis ex justis nuptiis censeatur natus, in jure non refert, quo sit matrimonii tempore natus, an quinto, sexto, septimo, etc. post nuptias mense, cum tempora pariendi sint incerta; imo etiam jure novo, qui paucis post nuptias diebus nascitur, habetur pro legitimo, L. 11. C. de natural. lib. Interest tamen quo tempore nascatur quis post patris obitum; legitimus erit, si modo adhuc nascatur ante mensem undecimum, vel saltem in ejusdem principio, Nov. 39. c. 2. At pro illegitimis habendi sunt, qui duodecimo post obitum vel absentiam mariti mense nascuntur, L. 6. ff. de his, qui sui, vel al. jur. CAREZOV. P. 4. c. 27. Def. 15. Unde etsi patria potestas spectata in se, et absolute sit juris naturalis et gentium, quia oritur ex matrimonio prima imperii paterni causa juxta ARISTOT. L. 8. Ethic. c. 12., L. 1. Polit. c. 1. eaque ratione etiam respiciat illegitimos, ac etiam possit competere matri; quoad formam tamen solius juris Romani est, §. 2. Inst. de pat. pot.

2º. Jure communi; hodie enim plerumque competit patri soli potestas patria, quod, consuetudine passim inducta, filius per nuptias egrediatur potestatem patris. Ubi tamen ea consuetudo non viget, jus commune obtinet, manentque descendentes in potestate patria, donec emancipentur; vel ea alio modo finiatur. Finitur autem 1. emancipatione coram judice, comparentibus et consentientibus patre et filio, §. præterea Inst. h. t. 2. Morte naturali, vel civili alterutrius, patris, aut filii, id est per diminutionem capitis maximam et mediam. 3. Per dignitatem Patritiatus filii, §. 4. Inst. quib. mod. jus pat. pot. solv. aliasque dignitates in curia; cingulum militare, L. fin. C. de Decur. nov. 81. 4. Professione religiosa sive patris, sive filii. 5. Per incestas nuptias patris, Auth. Incestas C. de incest. nupt. 6. Ex consuetudine, filio contrahente matrimonium.

3º. Quo filii et filia; 1. quos pater, ut dictum, justis ex nuptiis procreavit. 2. Et legitimati. 3. Etiam adoptati; adoptio enim, pr. Inst. h. t. est actio solemnis, qua in locum filii, vel nepotis assumitur is, qui talis natura non est, ideoque §. 4. Inst. h. t. imitari naturam dicitur, inventa in solatium eorum,